



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Dispvationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

8 Vtrum in secundis substantiis concreta ab abstractis distinguantur, & quomodo in eis suprema ratio substantiæ, & coordinatio prædicamentalis constituenda sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

ciendum formale complementum subsistentiæ totius suppositi materialis, ut in superioribus declaratum est. Proprietates vero vel accidentia, licet recipiantur in supposito, non tamen ratione subsistentiæ, sed ratione naturæ: nam recipiuntur in entitate substantiæ, non in modo substantiæ. Cuius rei argumentum optimum sumitur ex mysterio Incarnationis, nam in Christo recipi potuerunt omnes proprietates, & perfectiones accidentales hominis, non ratione subsistentiæ, neque attingendo illam, quæ increata est, sed solam afficiendo naturam. Vnde quoad hoc eadem est ratio de natura & supposito, quatenus sunt principia agendi, vel recipiendi accidentia: utrumque enim attribuitur supposito ut quod, ipsa tamen natura est principium quo, tam agendi quam recipiendi: agendi quidem per formam: recipiendi autem, vel secundum se totum, vel secundum materiam in quibusdam accidentibus materialibus, vel secundum formam in spiritualibus, quod latius hic exponere aut tractare non est necesse. Hinc tamen fit, ut, licet subsistentia non sit ratio recipiendi, sit tamē conditio per se requisita ex parte recipientis: hac enim ratione dicuntur passionis proprie esse suppositorum, sicut & actiones, & ita etiam loquimur in mysterio Incarnationis: est enim Christus passus & mortuus, & non proprie humanitas: & ideo sicut actiones, ita & passionis Christi fuerunt infiniti valoris, sicut ergo subsistentia est conditio agentis, ita & recipientis: atque hoc modo potest illi materialis causalitas attribui, sicut efficientia. Et hoc etiam confirmat testimonium Aristotelis I. Metaphys. cap. primo, iuxta expositionem superius datam, nimirum actiones versari circa singularia, id est, supposita, Calliam scilicet, & Socratem, ut circa maiorem substantiam.

XIX. Huic vero doctrinæ adhibenda est duplex limitatio: prior est ut intelligatur de subiecto actionis seu passionis accidentalis, non substantialis, vel si ad substantialem passionem voco generationem substantialem, omitto enim creationem, quæ non habet materialem causam, neque in subiecto recipitur: omnis ergo actio vel passio præter substantialem generationem recte attribuitur supposito, & circa illud versatur ut circa materiam subiectam: & de hac posuit Aristoteles exemplum, cum dixit: *Medicus non curat hominem, sed Calliam, aut Socratem*. Generatio autem substantialis non versatur circa suppositum ut circa materiam subiectam, sed circa materiam primam in qua sola recipiatur, destructo iam supposito ex quo fit generatio, & prius quam illud sit constitutum. Atque hac ratione non potest hæc passio proprie tribui supposito ut subiecto, vel causæ materiali. Potest autem cum quadam proportionem id fieri, nimirum, quod actio seu passio etiam versetur circa rem generalem, & subsistentem, partialem tamen in quo deficit à ratione suppositi: sicut superius dicebamus, quamvis actiones sint suppositorum, formam tamen subsistentem per se operari. Quo fit ut etiam ad ipsam substantialem generationem aliqua subsistentia saltem partialis, per se supponatur, & sit conditio necessario requisita ex parte causæ materialis: nam ibi etiam habet locum ratio generalis, quod res prius debet intelligi in se subsistens, quam sit apta ad sustentandum, vel recipiendum aliud.

XX. Sed quid de illa actione, vel quasi actione, ex qua resultat subsistentia ab ipsa natura: illa enim in natura recipitur, quam nullo modo supponit subsistentem? Respondetur actionem esse proportionatam termino: vnde sicut subsistentia ipsa non est proprie inhærens, sed altiori modo efficiens naturam, eique adhærens, ita emanationem illam, si sit ex natura rei distincta ab ipsa subsistentia, non inhærens,

neque esse in natura ut in subiecto, vel materia, sed ut in re terminabili per subsistentiam, cui intime & per quamdam identitatem coniungitur: & ideo non est necesse ut talis emanatio supponat rem subsistentem.

Vnde obiter intelligitur, quando generatio substantialis (& quo ad hoc idem est de creatione) dicitur versari circa personam, vel suppositum, id esse intelligendum de termino, non de subiecto aut materia generationis, in quo sensu diximus posse etiam intelligi dictum Aristotelis, actiones scilicet versari circa singularia: & in hoc sensu propriissime applicatur ad has actiones, quas substantiales vocamus: nam actiones accidentales proprie terminantur ad composita ex accidentalibus formis, ex 7. Metaphys. cap. 8. in quibus compositis supposita ipsa includuntur: imo pro illis supponunt, & ideo etiam hoc modo dici possunt omnes hæ actiones versari circa supposita.

Posterior limitatio erat ut hæc intelligatur ex natura rei, & seclusis miraculis, nam interveniente operatione aliqua supernaturali, fieri potest ut aliquis patiatur aliquid vel recipiat, quamvis non sit suppositum, ut de quantitate Eucharistiæ docent Theologi. Dici vero potest ulterius, in hac etiam exceptione servari quamdam operationem, nam illa quantitas ut fiat subiectum accidentium aut mutationum, prius recipit modum per se subsistendi, & ita constituitur in statu simili, vel proportionali supposito. Ad do tamen, quod si per possibile, vel impossibile Deus conservaret naturam aliquam vel quantitatem separatam sine subsistentia, vel positivo modo per se essendi, illa posset per entitatem suam esse subiectum mutationis sibi proportionatæ, propter eandem rationem, qua idem supra diximus de actionibus: atque ita in huiusmodi causalitatibus, materiali & efficienti, eadem fere in omnibus servatur proportio, ut diximus.

SECTIO VIII.

Utrum in secundis substantiis concreta ab abstractis distinguantur, & quo modo in eis suprema ratio substantiæ, & coordinatio prædicamentalis constituenda sit.

Diximus hætenus rationem primæ substantiæ, superest ut de secunda breviter dicamus: & sicut primam substantiam seu suppositum cum singulari natura comparavimus, ita etiam nunc species seu genera substantiæ cum communibus naturis illis proportionatis conferamus, ut verbi gratia, hominem cum humanitate, animal cum natura animalis, & de cæteris proportionali modo huiusmodi enim comparationem diximus supra sect. 4. ad hanc disputationem etiam pertinere. Qua exposta, declarabimus tandem generalem rationem constituentem supremum genus prædicamenti substantiæ: eiusque coordinationem infinuabimus ac brevissime attingemus, quoniam ea res magis ad Dialecticum spectat, quam ad Metaphysicum.

Dicunt ergo quidam abstracta hæc & concreta in universilibus seu in secundis substantiis sumpta, non eodem modo distingui & comparari inter se, ac in primis substantiis, id est, non ita distingui hominem & humanitatem, sicut Petrum & hanc humanitatem: nam Petrus distinguitur ex natura rei, ut visum est, à sua individua humanitate: homo autem solum ratione, & modo significandi differt ab humanitate. Ita tenet Fonseca lib. 5. Metaphys. cap. 8. quæst. 5. sect. 10. & quæst. 6. sect. 1. Fundamentum eius esse videtur, quia

quia nomina concreta secundarum substantiarum de formali idem significant quod abstracta: solumque innuunt, & quasi connotant singularia supposita in quibus subsistunt, pro quibus etiam supponunt seu accipiuntur, sicut concreta accidentium de formali tantum significant formam accidentalem, connotant autem subiectum cui inhaerent, ut pro illo supponunt. Quod secus accidit in nominibus concretis primarum substantiarum: hæc enim non significant de formali aliquam naturam, & innuunt subiectum, sed per se primo significant ipsum suppositum, quod tanquam primum subiectum ab omnia superiora, & accidentia comparatur: ut constat ex definitione primæ substantiæ: ideo non potest per hæc nomina aliud subiectum innui, alioqui procederet in infinitum. Ex hac ergo nominum diversitate videtur colligi, hominem, v.g. & humanitatem secundum se non differre formaliter ex natura rei, sed solum in modo concipiendi, & significandi, ex quo provenit ut homo accipitur, & supponat pro supposito, pro quibus non supponit humanitas. Et confirmatur, nam homo ut sic non includit substantiam, quam includit Petrus, quia substantia est res incommunicabilis: homo autem dicit tantum rationem communem: ergo non habet homo in quo ex natura rei distinguatur ab humanitate quando quidem in primis substantiis concretum solum distinguitur ab abstracto per additionem substantiæ.

Nihilominus dicendum cenſeo, æque distingui in secundis substantiis concreta ab abstractis, ac in primis. Ita sentiunt frequentius discipuli D. Thom. locis superius citatis, & sumitur ex D. Tho. in opus. de ente & essent. c. 3. ad finem, ubi ait, humanitatem & hominem differre, quia humanitas præcendit ab omnibus, quæ sunt extra formalem essentiam hominis, homo vero implicite, & in confuso includit rationes constituentes individua, seu supposita humana. Et 3. part. quæst. 4. art. 3. dicit, quamquam hæc locutio sit vera, Verbum assumptum humanitatem; hanc tamen esse impropiam & in rigore falsam, Verbum assumptum hominem. Nam hoc nomen homo (inquit) significat humanam naturam, prout nata est in supposito esse, quia ut dicit Damascenus lib. 3. de Fide c. 4. & 11. sicut hoc nomen Deus significat eum qui habet divinam naturam, ita hoc nomen homo significat eum qui habet naturam humanam. Ex quibus verbis hæc potest formari ratio, nam Petrus & hæc humanitas non alia ratione distinguuntur ex natura rei, nisi quia hæc humanitas: solum significat individuum naturam: Petrus vero dicit habentem talem naturam: sed eodem proportionali modo comparatur homo & humanitas: ergo pariter distinguuntur. Et confirmatur ac declaratur, nam sicut hoc suppositum, seu hoc habens hanc naturam, addit aliquid determinatum huic naturæ individuum, ratione cuius ex natura rei distinguitur ab illa, ita habens humanitatem absolute addit aliquid in communi, seu in universali ipsi humanitati, ratione cuius homo est habens naturam, & non humanitas: ergo est eadem distinctio.

Præterea declaratur in hunc modum, nam humanitas ex natura distinguatur à Petro, & Paulo, nam si hæc humanitas ex natura rei distinguatur à Petro, multo maiori ratione humanitas, quia minus includit humanitas, quam hæc humanitas, saltem actualiter & explicite: at vero homo non distinguatur ex natura rei à Petro & Paulo, nec humanitas ab hac & illa humanitate, sed tantum ratione, ut constat ex supra dictis de universalibus: ergo homo & humanitas non sunt omnino idem ex natura rei, sed æque distinguuntur ac suppositum & natura individua. Probatur consequentia, quia alias non posset Petrus magis distinguui ab humanitate, quam ab homine: nam quæ sunt eadem inter se, eodem modo identificantur, vel distinguuntur ab eodem tertio. Atque hinc potest su

mm ratio à priori huius sententiæ, nimirum, quod hæc prædicata universaliter a solum ex modo concipiendi nostro distinguuntur à singularibus proportionatim sumptis id est concreta à concretis & abstracta ab abstractis: ergo eodem modo distinguuntur, siue singulariter, siue universiter concipiuntur, quia solus modus concipiendi non tollit distinctionem, quæ ex natura rei in rebus ipsis reperitur. Et ideo æque falsæ sunt hæc locutiones: homo est humanitas, & similes, sicut illa: Petrus est sua humanitas. Ac tandem declaratur in hunc modum, nam si homo & humanitas in re essent idem, hoc ipso quod intelligeremus addi humanitati differentiam individuam, intelligeremus constitui hunc hominem, sicut hanc humanitatem: & consequenter non distingueretur hic homo ab hac humanitate: ergo sicut hoc falsum est, ita etiam illud.

Neque fundamentum contrariæ sententiæ difficilem habet responſionem. Nam in primis differentia illa inter nomina primarum & secundarum substantiarum non est necessaria quia etiam hic homo dici potest formaliter significare hanc humanitatem, innuere vero seu consignificare suppositum in quotalis humanitas subsistit: cur enim id potius de homine, quàm de hoc homine affirmatur? Hoc enim non repugnat cum actione primæ substantiæ: nam in ea non solum insunt accidentia, & subsistunt secundæ substantiæ: sed etiam individua & singularis natura suo modo est, seu subsistit in supposito: ergo non repugnat nomini primæ substantiæ ut formaliter significet singularem naturam, innuat autem suppositum. Neque ex hoc sequitur processus in infinitum: quia non dicimus nomen primæ substantiæ innuere subiectum vel suppositum, in quo sit tota ipsa prima substantia, sed in quo sit individua natura ipsius primæ substantiæ. Quod ex mysterio Incarnationis & Trinitatis optime declaratur: nam hic homo Christus de formali significat hanc humanitatem innuendo suppositum in quo subsistit. Unde dicunt Theologi frequentius, quod licet illa humanitas mutaret suppositum: semper est idem homo, vel licet assumere-tur à tribus personis, esset tamen hic homo. Sicut etiam hic Deus formaliter dicit hanc Deitatem, innuit vero personam, in qua hæc Deitas subsistit: ideo licet personæ sint tres, idem tamen est Deus, seu hic Deus. Verum est tamen esse quædam nomina primarum substantiarum, quæ formaliter significant rationem suppositi, quam individuum naturam, ut hoc suppositum vel hæc persona. Alia vero esse possunt nomina singularia de quibus non satis constat, quid formaliter significant, ut sunt propria nomina individuum, Petrus & Paulus, &c. Veruntamen hoc parum refert ad rerum distinctionem, quam inquire-mus.

Vnde secundo dicitur, quamquam in nominibus concretis nos explicandi gratia distinguamus duplex illud quasi partiale significatum, formale scilicet, & materiale, vel quasi materiale, aut connotatum, tamen in re ipsa vnum esse adequatum significatum, quod maxime cernitur in nominibus concretis secundarum substantiarum, sunt enim nomina absoluta, quorum adequatum significatum est per se vnum. Quapropter ad distinguendum hominem ab humanitate parum refert, quod in significatione huius vocis Homo possumus non distinguere formale significatum & connotatum, sed attendendum est adequatum significatum, nam inter illud & humanitatem fit coparatio: vnde si in illo aliquid realiter includitur quod in humanitate non includatur, hoc satis est ut dicantur illa duo ex natura rei distingui. Atque idem dicendum cenſeo de concretis accidentium, etiam si in eis minor sit unitas, & expressior sit connotatio, seu clarior distinctio formalis & materialis significati. Non enim verum cenſeo, quod quidam aiunt, in accidentibus concretum, & abstra-

V.
Contraria opinionis fundamentum cernitur.

VI.

abstractum solo concipiendi modo distingui: nam in re idem penitus significant: quod sentit Durand. in 1. dist. 34. q. 1. citans Aristotelem in prædicam. cap. de substant. text. 7. dicentem, album solam qualitatem significare sicut albedinem. Verum tamen negari non potest, quin album (& idem est de similibus) licet de formali significet solam albedinem, tamen æquale significet plus quam albedinem, scilicet, compositum ex subiecto & accidente, alioqui quomodo posset pro subiecto accipi, vel supponere, nisi illud significaret, vel consignificaret. quod tam manifestum est ex communi modo concipiendi, ut vix possit in hoc dubitari. Nec Aristoteles dixit album solam qualitatem significare, sed solum quale: & per illam particulam exclusivam non excludit, quin adæquate significet compositum, sed excludit quale essentiale. Dixerat enim secundas substantias non significare hoc aliquid, sed quale quid: & ideo subdit, non significare quale perinde ac album, quod solum quale significat, id est, quale accidentale, quod non est quidditas rei: secunda vero substantia dicitur quale essentiale & quidditativum. Cum ergo hæc concreta accidentium adæquate significent ipsa composita, dicendum est, non sola conceptione distingui ab abstractis, sed re ipsa, sicut compositum à forma componente.

VII.

Adde ultimo (ut ad confirmationem illius sententiae respondeam) illud, quasi materiale significatum, quod innuere, vel consignificare dicitur hæc vox, homo, non esse Petrum vel Paulum, secundum quod sunt talia individua vel supposita, sed solum secundum communem seu confusam rationem subsistentis in humanitate. Nam, sicut homo de formali non dicit immediate hanc vel illam humanitatem ut sic, sed humanitatem confuse, ita non innuit immediate hoc, vel illud suppositum humanum, sed simpliciter subsistens in humanitate, sub quo mediare & confuse complectitur singularia subsistentia in humanitate: totum enim immediatum significatum, & adæquatum huius vocis homo abstractum secundum rationem ab individuis, tam ratione formali, quam ratione materiali. Unde intelligitur, quod sicut Petrus præter hanc humanitatem includit subsistentiam eius, ita homo præter humanitatem includit subsistentiam humanitatis, non hanc vel illam, sed communem rationem subsistentiam talis naturæ. Ita enim abstrahibilis est communis ratio subsistentiæ à singularibus, sicut communis ratio humanitatis vel hominis. Certum autem est perinde distingui ex natura rei subsistentiam hominis ab humanitate in communi sumantur, sicut in individuo hæc subsistentia ab hac humanitate: cum ergo homo præter humanitatem includat subsistentiam humanam in communi, necesse est ab illa distingui tanquam includens ab inclusio.

VIII.

Dices: Ergo homo & aliquis homo idem significant: nam: aliquis homo præter humanitatem non dicit nisi subsistens in humanitate, quod non designat in singulari, sed in communi tantum: consequens autem non videtur verum, quia homo dicit tantum speciem humanam, ac vero aliquis homo dicitur individuum vagum. Respondetur, sub controversia esse an aliquis homo sit propriè terminus vniuocus, supponendo autem pro nunc ita esse, concedo quod quidam homo, & homo in re idem significant, diverso tamen modo quoad formalem modum significandi, nam homo formaliter significat humanitatem & includit in suo immediato significato subsistentiam humanam in communi, individua autem confuse complectitur, non tamen ea exprimit, vel in particulari, vel secundum aliquam rationem communem individui humani: tamen aliquis homo, licet in communi etiam dicat subsistens in humanitate, tamen formaliter significat illud sub ratione individui hu-

mani, non materialiter assignando illud, sed sub communi ratione individui, sicut suppositum humanum significat etiam subsistens in humanitate, significando tamen de formali ipsam subsistentiam.

Corollaria ex superiori doctrina.

Ex dictis colligitur primo, in omnibus secundis substantiis habere locum prædictam distinctionem concreti ab abstracto, proportionalem illi, quæ in primis substantiis est inter suppositum & naturam: est enim omnium eadem ratio. Sicut enim inspicie ultima distinguitur homo ab humanitate, & sic de cæteris, ita in proximo genere distinguitur animal, verbi gratia, ab animalitate (ut sic dicam) seu à natura, quæ est principium sentiendi, & in generibus intermediis distinguitur, verbi gratia, vivens à natura vegetandi, seu à vita. Ac denique in ipsomet supremo genere substantiæ, distinguitur substantia finita (de hac enim semper est sermo) à substantia infinite seu substantia naturali. In his enim omnibus habet locum illa ratio, quod concreta includunt rationem subsistendi in communitate seu vniuersalitate sibi proportionata, quam non includunt abstracta: & alix rationes factæ possunt eodem modo accommodari. Ac denique potest ita declarari in humanitate Christi: illa enim sicut essentialiter est humanitas, & includit specificam rationem talis naturæ, ita etiam includit essentialiter genericam rationem naturæ animalis, viuentis & corporeæ, ac substantialis naturæ: & similiter sicut non est homo ita neque animal, neque vivens, nec substantia scilicet completa, quam dicit genus generalissimum substantiæ. Et ratio est, quia sicut illi humanitati velle, &c. est aliquid ad complementum hominis necessarium: ita & ad complementum animalis, & aliorum superiorum: est ergo in his omnibus eadem proportionalis distinctio.

Secundo sequitur, quod sicut suppositum, vel prima substantia præter essentiam rei includit modum subsistendi proprium, qui licet pertineat ad complementum substantiæ, non tamen est de essentia eius: ita proportionali modo quilibet secunda substantia, præter rationem essentialem suam includit modum habendi talem essentiam vel naturam specificam, vel genericam, qui modus non pertinet ad essentiam, sed ad complementum talis secundæ substantiæ. Ratio est clara ex prædicta proportionem, nam sicut de essentia Petri non est supposita litas eius, ita nec de essentia hominis subsistentia humana, nec de essentia animalis subsistentia animalis, & sic de cæteris superioribus: est enim eadem omnium ratio. Item, quia quidquid est de essentia hominis, est de essentia Petri: ergo & conuerso, quidquid non est de essentia Petri, non est de essentia hominis: sed de essentia Petri non solum non est, nec subsistentia humana secundum specificam rationem eius: nam in Christo est tota essentia huius hominis, & non est subsistentia humana propriè dicta seu secundum specificam & creatam rationem eius: ergo talis ratio subsistentiæ non est de essentia hominis ut sic: & eadem ratio procedit in omnibus superioribus. Denique, hæc abstracta & concreta licet distinguatur ex natura rei ut diximus, tamè propriè non distinguuntur essentialiter, seu in essentia: sed in modo quodam terminante, & complete essentiam, quem includunt concreta, & non abstracta: ergo hæc omnia concreta præter essentiam includunt aliquid, quod propriè non spectat ad essentiam, sed ad complementum talis substantiæ in suo gradu.

Tertio inferitur ex dictis, qualis sit ratio essentialis substantiæ simpliciter dictæ, id est, quæ est genericæ.

ralissimum in predicamento substantie. Communiter enim describi solet, quod sit ens per se: quæ descriptio sicut & ipsum substantiæ nomen, ambigua esse potest. Nam si nomen entis generalissime & transcendenter sumatur, & illud per se solum denoter negationem inhærendi alteri per modum accidentis: sic non solum supremum genus substantiæ, & quidquid sub eo directe continetur, est ens per se, sed in vniuersum, quicquid non est accidentis, id est, omnis substantia, siue completa, siue incompleta, vel physice, vel metaphysice, iuxta superius dicta in sectione prima huius disputationis. Alio modo sumi potest ens per se pro ente completo, quod per se subsistens esse potest. Et hoc modo describitur per illa verba essentialis ratio substantiæ, prout est supremum genus: indigent tamen duplici annotatione. Prima est, substantiam, quæ est supremum genus (& idem est de qualibet secunda substantia) non dici per se esse, seu subsistere, quia per se primo, seu præcise, & prout secunda substantia est, possit in rerum natura subsistere: hoc enim pertinet ad opinionem Platonis attributam de vniuersalibus in re ipsa separationem existentibus: & ad hunc sensum excludendum dicit Aristoteles in prædicamentis cap. de substantia, secundum substantiam videri esse hoc aliquid, quia significatur per modum subsistentis, re tamen vera non esse hoc aliquid, quia non subsistit, nisi in singularibus. Dicitur ergo substantia in communi per se esse, quia ex vi suæ rationis formalis postulat illum essendi modum, & quia in suo conceptu includit illum, secundum communissimam rationem sitam, & maxime abstractam, quamuis in re ipsa non exerceatur, nisi in singularibus. Altera animaduersio est, cum actualis substantia non sit de essentia substantiæ, vt diximus essentialiter rationem substantiæ, vt sic non consistere in esse per se, quatenus per hæc verba describitur ipsa subsistere in actu: sed in hoc, quod habeat talem essentiam, & naturam, cui debeatur substantia, seu quæ ex se sit sufficiens principium illius.

Vltimo licet ex dictis colligere, quæ res constituentur in predicamento substantiæ, & quo modo. Primum enim veluti fundamentum & basis illius prædicamenti, est suppositum, seu prima substantia creata (nam increata non collocatur in prædicamento, vt ex his quæ de ente per essentiam diximus, constare potest) & ideo ab Aristotele prima substantia dicta est, præcipue & maxime substantia. Suprà illam veron recta linea collocatur species eius & genera, usque ad supremum, eo quod sint etiam complete substantiæ, vt supra vidimus, quia dicunt integram naturam substantiæ, cum modo subsistendi, & per modum totius, solumque differunt in maiori vel minori abstractione, seu in modo magis confuso, vel distincto concipiendi ipsam integram substantiam. Cetera vero omnia, quæ primam aut secundam substantiam componunt Physice, aut Metaphysice, reuocantur ad prædicamentum substantiæ, non tamen constituntur in recta linea. Ratio huius posterioris partis est, quia non sunt complete substantiæ. Prioris autem partis ratio est, quia non potest substantia completa, nisi ex completis constare, teste Aristotele 1. Physicæ cap. 3. & 6. Non enim potest substantia per se ex accidentibus componi. Neque in vniuersum, res vnius prædicamenti ex re alterius prædicamenti, vt testatur Aristoteles 1. Topicæ cap. 3.

Huiusmodi autem sunt in primis ipsæ naturæ substantiales, prout in abstracto significantur & concipiuntur: nam licet hæc possint inter se concipi cum subordinatione, & quasi constituendo suam lineam, proportionatam illi, quæ ex primis & secundis substantiis constituitur (sic enim concipitur hæc humanitas, & supra illam humanitas, & supra hanc naturam animalis usque ad substantialem naturam) tamen tota hæc linea, & series secundum quid substantia,

& ideo tantum secundum quid seu per reductionem pertinet ad illud prædicamentum: & vnumquodque ex illis abstractis, ad suum proportionale concretum reuocatur: id est, hæc humanitas ad hunc hominem, humanitas ad hominem, & sic de reliquis. Vnde consequenter fit, vt alterum etiam extremum huius compositionis, scilicet subsistentia, vel singulariter, vel vniuersa concepta, non possit directe in hoc prædicamento collocari, quia multo minus est completa substantia, quam ipsa natura, reducitur tamen ad eadem composita cum prædicta proportionem: nam componentia ipsa ad suum compositum reuocanda sunt. Arque idem iudicium est de partibus essentialibus substantiæ compositæ, quales sunt materia & forma, in quibus etiam potest intellectus suas lineas constituere, & maxime in formis, quas possumus vel in indiuiduo concipere, vel in specie, & a formis specie diuersis possumus etiam conceptum genericum abstrahere, qualis est conceptus formæ elementaris, vel animæ sensitiuæ: & in materia potest facile aliquid simile excogitari, præcipue si verum est dari materias specie diuersas, quas in generica ratione materię conuenire necesse est. Verumtamen tota hæc coordinatio, est secundum quid, & per reductionem, respectu prædicamenti substantiæ, quia nec materia nec forma est completa substantia, neque indiuidua earum sunt primæ substantiæ, aut hoc aliquid, vt sumitur etiam ex Aristotele secundo de Anima capite primo & septimo Metaphysicæ capite tertio.

Rursus idem fere dicendum est de partibus integrantes, quæ teste Aristotele 7. Metaphysicorum c. 5. quamdiu actu componunt, non sunt actu entia, sed potentia, non quod non habeant actualitatem, entis, sed quod non habeant illam separatam & ratione sui, sed in toto & ratione totius: & eodem sensu non sunt substantiæ actu, sed potentia, ac propriè ea non collocantur directe ac per se sub supremo genere substantiæ, sed in toto ipso comprehenduntur & ad illud reuocantur sunt, etiam si mente separatim concipiuntur. Arque eodem fere modo philosophandum est de differentiis substantialibus, quæ non sunt substantiæ, scilicet directe & complete, teste Aristotele in cap. de substantia nulla enim differentia sub suo genere directe collocatur, repugnat enim hoc propriè compositioni ex genere & differentia, vt constat ex Aristotele 3. Metaphysicorum cap. 2. Alioquin & in tali compositione procederetur in infinitum, & ipsa differentia esset species, & prædaretur vt quid: quæ omnia repugnant, vt indicant etiam Aristoteles 1. Topicorum capite decimo tertio. Ponuntur ergo hæc differentie in prædicamento substantiæ reduciuntur: nec sunt accidentia, vt ostensum est: quia nec possunt esse extra totam substantiæ latitudinem: inter quam & accidentis non datur medium. Denique ob easdem rationes omnes modi substantiales, vel inchoationes ac viæ ad substantiam vt sic, vt passiuæ creatio, & similes in hoc prædicamento collocantur per reductionem. Quæ tota doctrina communis est interpretum, Aristotelis, partim 5. Metaphysicæ ca. 8. partim in prædic. cap. de substantia. vbi de hac coordinatione prædicamentali fusius differitur: illud enim proprium est Dialectici munus, ad Metaphysicam autem considerationem, ea quæ generatim dicta sunt, sufficere videntur solumque superest vt de diuersis gradibus seu ordinibus substantiarum, quantum abstractio Metaphysica permittit, differamus.

XIV.